

Primum locum convenire hebdomadario *Officium facienti* super omnes Dignitates et Canonicos, quando ipse hebdomadarius est Canonicus vel ex numero Dignitatum; si vero est Clericus, debet, quando officium facit, accedere in medio Chori. n. 316 die 17. Junii 1606.

Hebdomadario deberi praecedentiam sive cum paramentis sive absque eis. n. 3889 die 12. Sept. 1716.

### 2) Paratus.

Hebdomadarium paratum facere debere omnia sibi convenientia. n. 651 die 22. Aug. 1626.

Quando Hebdomadarius est paratus, debet occupare primam sedem. n. 2248 ad 2 die 4. Aug. 1663.

Vd.: *Sedes Dignit. et Canon. in choro* (decr. n. 4358.).

Paratis tantum hebdomadariis concedendam esse primam sedem. n. 652 die 22. Aug. 1626.

Vd.: *Hebd.* (in choro, decr. n. 1985.)

### 3) Quis?

Canonicos inter Cath. Eccl. Platiensis controversia parvi quidem momenti orta est, quae tamen nonnullorum animos diversas in partes scindit. Quam quidem controversiam ad formam Dubii proponit pro opportuna dilucidatione R. D. Calogerus Crea recensitae Cath. Canonicus Theol., nimirum: An Canonicus in Choro Diaconus, sed character Ordinis Presbyteralis, omnibus annuentibus Canonicis possit in Choro facere Hebdomadam, dum ipse affirmativam protulerit sententiam profiteatur?

Et S. eadem C. ad Vaticanas Aedes hac die coadunata in Ordinariis Comitibus audita relatione ab infra-scripto Secretario facta inhaerendo decretis alias super re editis, ac perenni consuetudini aliis in Eccl. lau-

dabiliter servatae, rescribendum censuit:

„Affirmative; dummodo Praebendae non sint fixae et in Choro per antinitatem ascendatur ad Ord. Presbyteralem“.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 5020 die 14. Junii 1845.

### 4) Stola in choro.

Cf.: *Stola; Stola parochorum etc.* (decr. n. 4550 nota.)

Hebdomadarius non debet in choro uti stola. n. 2241 ad 3 die 4. Aug. 1663; n. 4524 die 7. Sept. 1816; n. 4645 ad 3 die 17. Decb. 1828.

Canonicus Hebdomadario Collegiatae Collis Veteris ratione stolae digniorem locum in Officio et aliis functionibus ecclesiasticis peragendis debere, non autem ad Archipresbyterum spectare. n. 2989 die 13. Junii 1682; n. 3030 die 2. Octob. 1683; n. 3889 die 12. Sept. 1716.

### ORITAN.

#### Rme. D. uti Frater.

Per recursum apud S. R. C. nuperime habitum a Sacerdotibus una et Canonicis Colleg. Eccl. Oppidi Francavilla nuncupati istius Oritanae Dioec., scilicet Dominico Forleo Cantore et Emanuele Forleo Capituli Procuratore, eidem innotuit Archipresbyterum vel ejus Substitutos in Choro tempore Divini Officii uti Stola, quod maxime vetitum est ne fiat a Decretis ejusdem S. C., praesertim in Generali diei 7. mense Sept. anno 1816 lato, atque a s. m. Pio Papa VII. sua auctoritate et confirmatione roborato, quo mandatur omnibus Hebdomadariis, Archipresbyteris aliisque, ne possint uti Stola in canendis Divinis Officiis, sed tantum in Sacramentorum confectione et administratione et contraria consuetudo declaratur abusus per Lo-

corum Ordinarium omnino eliminandus: item in una Volaterrana sub die 16. Mense Dec. anno 1828 proposito sequenti Dubio: „An Decreta prohibentia delationem Stolae ab Hebdomadario assistente Horis Canonicis comprehendant etiam Tertiam cantatam solemniter cum Ministris et Vesperas solemnes“? S. C. rescripsit: Serventur Decreta, ea praesertim Gen. novissimum diei 7. Mensis Sept. anni 1816., in quo comprehenditur etiam casus propositus: ea propter S. C. hac die Ordinariis in Comitibus apud Vaticanas Aedes coadunata, audita relatione a R. P. D. Secretario subscripto facta, satius duxit mandare, ut Amplitudini Tuae scriberetur et significaretur, hoc non licere juxta alias decreta, ac pro suo munere provideret, ne in Choro deferatur Stola ab Archipresbytero recensito aut aliis quibuscumque; quae certe consuetudo seu declaratus abusus viget passim in hac Oritana Dioec. atque etiam in Choro ipsius Cath., sicut a testibus fide dignis accepit eadem S. C. per multis in circumstantiis. Ne ulterius itaque transgressioni legis aditus pateat in universa hac Dioec., curet Amplitudo Tua, ad tramites Decreti Gen., quod omnes indiscriminatim adstringit, mandare ut in Choro tempore Divini Officii Stola amplius non appareat, neque ab ullo sub quovis praetextu deferatur. Et Amplitudo Tua diu felix et incolumis vivat. n. 5027 die 14. Junii 1845.

### S. HEDWIGIS.

(Vid., reg. Polon.)

S. C. resp. PP. *Benedictinis Einsid.*: In festo s. Hedwigis vid. reg. Polon. recitatur oratio Ecclesiae universalis, nempe: „*Deus, qui b. Hedwigem etc.* n. 4044 ad titul. de *Oration.* die 5. Maji 1736.

### URBIS ET ORBIS.

*Clemens PP. XI.*

S. C. R. posse concedi censuit, ut Off. s. Hedwigis hactenus sub ritu sem. *ad lib.* recitatum, in posterum cum oratione ppr. sub eodem ritu sem. *de praecepto* recitetur, si SS. D. N. visum fuerit. Et S. S. benigne annuit. Die 27. Mart. 1706. (Bull. r. t. VIII. p. 434.)

### S. HENRICUS. IMP.

Vd.: *Translatio* (festi perpetuo transl. decr. de die 12. Sept. 1840.)

De ejus Canonisatione vd.: *Constitutio Eugenii III. die 13. Mart. 1152* in Bull. rom. tom. I. p. 34.

### S. HERMENEGILDUS.

In festo s. Hermenegildi die 13. Apr. ex decreto S. C. tam tempore Paschali quam extra, dicendum est Evangelium: *Si quis venit.* n. 2419 ad 9 die 13. Aug. 1667; n. 2645 die 17. Junii 1673.

Quando in I. vesp. s. Hermeneg. mart. hymnus proprius non fuerit recitatus, ponendus est in Matut. et hym. Matut. substituendus est in laud. S. R. C. 5. Maji 1736.

Vd.: *Martyr* (Officium; decr. de die 2. Maji 1801.)

### S. HIERONYMUS AEMIL.

Vd.: *Translatio* (festi perpetuo transl. decr. de die 12. Sept. 1840.)

### S. HILARIUS.

Vd.: *Epiphania Dom.* (Dies octava); *Dominicae post Epiph.* (decr. n. 5197.)

### HOMAGIUM.

Episcopum debere Dignitates et Canonicos aliosque *de Capitulo* in actu

praestandae obedientiae recipere ad osculum dumtaxat manus, non genu, juxta Caerem. (Lib. I. c. II.) n. 1341 die 17. Sept. 1641.

Praepositos admittendos esse ad osculum manus novi Archiepiscopi, dum primo Ecclesiam ingreditur, non secus ac Canonici. n. 1641 ad 2 die 11. Maji 1652.

Archiepiscopum Avenion. in primo accessu ad suam Metropol. Dignitates, Personatus Canonicos, Numerarios sive Capitulares, Canonicos supranumerarios et Beneficiatos, nullo excepto, excipere ad osculum manus debere. n. 2624 die 6. Maji 1673.

### HOMILIA.

(Cf.: Sermo. Concio.)

Ad dubium: An liceat Canonico Theologo explicare populo sacram Scripturam in diebus Festis inter Missarum Solemnia et praecise post Evangelium in casu etc.?

S. eadem C., audito prius Rmo. Episcopo Ripano perpensisque juribus Archipresbyteri, Canonico vadimonium deserente, respondit: „Negative“.

Hodie vero iterum ab eodem Relatore proposito eodem Dubio, audito pariter uno Archipresbytero, respondit: „In decisis et amplius“. n. 4467 die 30. Apr. 1796.

### S. HOMOBONUS C. CREMONENSIS.

De ejus Canonisatione vd.: *Constitutio Innocentii III. die 22. Decb. 1198* in Bull. rom. tom. I. p. 54 (ed. Luxenbg.) Ejus festivitas celebr. 13. Novemb.

### HORAE CANONICAE.

Vd.: *Chorus*; *Officium* (initium); *Episcopus* (initium Officii); *Matut.*; *Complet.*; *Nativit. Dom.* *Psallendi modus.*

### HOROLOGIIUM.

*Pro indicandis horis ad exposit. SSmi.*, vd.: *Instructio Clem. §. X.*; *Expositio SSmi.* (tempus); *Campanae pro horologiis. Pro celebratione missae*, vd.: *Habitus Clericor.* (§. 9.)

### HOSTIA.

#### 1) Dividenda in communione.

Vd.: *Communio* (Hostia etc.)

#### 2) Duae consecrandae.

Vd.: *Instructio Clem. §. XIX. n. 2. 6.*; *Festum SS. Corp. Chr.* (Expos. etc., ad dub. VI.)

#### 3) Forma.

Nulli tradendas esse plures Eucharistiae formas seu particulas, neque grandiores quam consuetas. S. C. C. 12. Febr. 1679 approb. Innoc. XI.

#### 4) Furtum.

*Quomodo in Hostiae furtum animadvertendum*, vd.: *Constit. Innoc. XI. die 12. Mart. 1676.* (Bull. r. t. VII. p. 1); *Constitutio Alexd. VIII. de die 22. Decbr. 1690.* (Ibid. t. XII. p. 67.)

#### Benedictus PP. XIV.

Ab Augustissimo Eucharistiae Sacramento, in quo Salvator Noster et Dominus Jesus Christus se ipsum nobis tamquam gratiarum omnium fontem uberrimum atque pretiosum aeternae gloriae pignus, amandum atque fruendum exhibere ineffabili benignitate dignatur, cur curvari convenit omne genu omnesque gentes et populos et linguas perenne adorationis et honoris tributum offerre, sceleratorum hominum audaciam multoque magis sacrilegas impiorum manus arcendas

esse, in primisque à Nobis Apostolicae auctoritatis clypeo ac districto poenarum gladio, quantum cum Domino possumus, longius propulsandas, tum ipso ministerii Nostri Officio tum etiam Praedecessorum nostrorum exemplis admonemur.

§. 1. Et sanè, cum alias Ven. mem. Praedecessor Noster Innocentius Papa XI. per suam Constitutionem datam IV. Idus Martii Anno incarnationis Dominicae 1676 statuerit, ut omnes et singuli utriusque sexus, qui de execrabili furto Hostiae consecratae, sive unius sive plurium Particularum consecratarum, cum sacra Pyxide vel sine illa, legitime et judicialiter confessi aut convicti fuerint, quive propria malitia vel de alterius mandato, Hostiam ejusmodi, sive unam vel plures Particulas consecratas, ad malum finem apud se retinere vel aliò transferre seu asportare praesumpserint, condignis poenis et animadversionibus pro facinoris atrocitate plectantur et pro prima etiam vice Curiae saeculari tradantur; non obstante minori aetate, dummodo vigesimum annum attigerint; easdemque poenas constituerit etiam contra Mandantes. Immediatus illius Successor. fel. pariter rec. Alexander Papa VIII. aequali zelo ad tam nefarium scelus eliminandum armatus praedictam Innocentii XI. Constitutionem confirmavit per aliam in simili forma datam XI. Kalendas Januarii Anni MDCXC.; in qua etiam illud addidit, ut sub antedictae Constitutionis dispositione intelligi deberent comprehensae omnes et singulae personae tam Saeculares quam Ecclesiasticae etiam Regulares cujuscumque dignitatis, status, gradus, Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, quibuscumque privilegiis, exemptionibus et Indultis munitae et quavis speciali nota aut individuatione dignae, nulla prorsus excepta; easque

omnes, si quas atrocissimi ejus criminis, quocumque modo, etiam sine qualitate furti, per se ipsas vel per alios quoscumque aut de alterius mandato commissi reas esse constaret, omnibus et singulis poenis tum antiquis, tum in dicta Innocentii XI. Constitutione innovatis, etiam quoad Ecclesiasticas degradationis realis et traditionis brachio saeculari, omnino et irremissibiliter obnoxias fuisse et esse atque in posterum fore declaravit.

§. 2. Nos igitur, quibus horrendae hujusmodi impietatis magis magisque praecavendae non minor cura pectori insidet, supradictas Praedecessorum nostrorum Innocentii XI. et Alexandri VIII. Constitutiones (quarum tenores, ac si de verbo ad verbum praesentibus insertae forent, haberi volumus), atque omnes et singulas dispositiones, ordinationes, declarationes et extensiones in illis contentas, prout jacent, Motu proprio et ex certa scientia et deliberatione Nostri de qua Apostolicae potestatis plenitudine hac Nostra perpetuo valitura Constitutione confirmamus, approbamus et innovamus easque inviolabiliter et inconcussè servari volumus et mandamus.

§. 3. Cum autem, sicut Nos ipsi pluries agnovimus, dum adhuc in minoribus existentes in Romana atque universali Inquisitione Consultoris munere fungebamur, in hujusmodi Causarum tractationibus, quae coram Sacro praedictae Inquisitionis Tribunali agitantur, hae plerumque exceptiones à Reis atque Reorum Advocatis proponi soleant; quod scilicet subreptarum Particularum sive Hostiarum consecratio, et surripiendum sive asportantium vel respectivè retinentium intentio ad malum finem directa, minime à Fisco probentur; et propter hujusmodi exceptiones et deficientes in Fisco probationes ad easdem repellendas, hujus generis causas in

longum protrahi contingat atque etiam ipsi aliquando Rei delictorum suorum impunitatem aut poenarum minorationem pessimo exemplo obtinere tentaverint; cumque super relevantia istarum exceptionum, quae ex dictarum Innocentii XI. et Alexandri VIII. Constitutionum contextu oriri asseruntur et super eo, an ipsis Reis vel Fisco potius incumbat onus conficiendi probationes pro supradictis exceptionibus fundandis vel respectivè destruendis, novam aliquam declarationem Pontificia auctoritate suffultam memoratis Constitutionibus adjungi desideraretur: Idcirco Nos volentes omnia sacrilegis Hominibus adimere subterfugia, per quae condignas tantae impietatis poenas declinare vel earum minorationem et relaxationum praetendere vel obtinere possent, motu, scientia, deliberatione ac potestatis plenitudine paribus atque etiam Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana adversus haereticam pravitatem generalium Inquisitorum à S. Sede specialiter deputatorum sensui et consilio Nobis aliàs super hac re insinuato inhaerentes, ea, quae sequuntur, opportunè statuenda et declaranda censuimus.

§. 4. Quoties igitur per legitimas probationes constiterit vel Hostiam vel Particulas à Reo subreptas sive alio modo asportatas atque retentas in Sacro prius Repositorio seu Tabernaculo vel in Sacra Pyxide aut Ostensorio asservatas, indeque sacrilego ausu extractas atque asportatas fuisse; vel eidem Reo constituto aut alteri personae in actu Communionis à Sacerdote traditas deindeque vel in eodem Communionis actu vel post illum ab ipso sumente ex proprio ore extractas fuisse; tunc satis et abundè fundatam praesumptionem Fisco suppetere declaramus pro asserenda eorundem Hostiarum seu Particularum

consecratione, ad quam excludendam nonnisi claras et concludentes in contrarium probationes admitti debere decernimus; quarum perficiendarum onus ad ipsum Reum pertinere dubitandum non est ac ne in posterum dubitari contingat praesentis declarationis tenore statuimus.

§. 5. Inutiliter etiam à Reis vel ab eorum Defensoribus proponeretur exceptio non probatae pravae intentionis abutendi Sacramento ad malum vel sacrilegum finem, nisi concludentibus et juridicis probationibus adstruendis pariter ab ipsis Reis, in quos tale onus praesentis declarationis vigore expressè refundimus, hujusmodi exceptio constabilita fuerit et justa aut excusabilis ratio asportationis aut retentionis Sacramenti plenè comprobetur. Aliàs etenim Fisco semper assistet valida et legitima praesumptio de intentionis pravitate, quotiescumque probaverit ipsam Sacrae Hostiae vel Particulae subreptionem, asportationem aut retentionem, absque eo quod, super malo vel sacrilego fine, speciales probationes debeat cumulare. Itaque neque istam neque aliam superius memoratam exceptionem, ubi sufficienter ut supra probatae non fuerint, impiis tanti Sacramenti violatoribus ullatenus suffragari volumus, quo minus omnibus et singulis poenis, etiam pro prima vice traditionis brachio saeculari et quoad Ecclesiasticos degradationis realis et traditionis pariter pro prima vice brachio saeculari in praefatis et antiquioribus Praedecessorum Nostrorum et juris sanctionibus, contra hujusmodi numquam satis detestandi facinoris Reos juste ac sapienter constitutis, subjiciantur et cum effectu plectantur et puniantur.

§. 6. Decernentes praesentes Nostreas Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis seu eorum aliquo, jus

vel interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cujusvis status, gradus, Ordinis, praeeminentiae vel dignitatis existant, sive alias specifica et individua mentione et expressione digni illis non consenserint nec ad ea vocati et auditi, neque causae, propter quas eadem praesentes emanaverint, adductae, verificatae vel sufficienter aut ullo modo justificatae fuerint aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica et privilegiata causa, colore, praetextu et capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno ac formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum aliudve quodcumque juris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari aut etiam motu pari et de Apostolicae potestatis plenitudine simili concessio vel emanato quempiam in Iudicio vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcussè observari.

Constitut. Bened. XIV. 5. Mart. 1744. (Bull. r. t. XVI. p. 181.)

5) Tractio ad verba: „Pax Dom.“ etc.

MURAN.

Quum Rmus. Muran. Ep. humillimis sequentibus precibus SSmum. D. N. Gregorium XVI. P. M. adierit, mirum:

Beatissimo Padre.

Fr. Tommaso Antonio Gigli Vescovo di muro di anni 72. umilmente espone, che da molti anni ha sofferto in ambe le braccia ma più nel destro una Paralizia, ossia tremore, che attualmente essendosi accresciuto, con somma difficoltà nel celebrare la Santa Messa può frangere le Sacra Ostia sul Calice, e con pericolo di versare il Calice istesso, e far suolazzare i frammenti: che perciò preca la Santità Vostra volersi benignare accordargli il permesso di franger l'Ostia sopra la Patena con le mani poggiate sopra il Corporale, come ha praticato qualche volta con meno difficoltà e minor pericolo, proseguendo poi il resto secondo il Canone, cioè di far le Croci sul Calice colla particella dell' Ostia dicendo: *Pax Domini*. Che della grazia ec;

S. S., referente subscripto S. R. C. Secretario de speciali gratia benigne annuit, ut Ep. Orator in incruento Sacrificio consecratam Hostiam super Patenam frangere possit juxta preces, non omittendo tamen cetera, quae fieri in actione assolent. n. 5006 die 13. Decb. 1844.

Ad dubium: An pars inferior hostiae praecidi debeat an vero superior, quando dicitur: *Pax domini etc.*? S. C. resp.: Inferior praecidi debet. Die 4. Aug. 1663 ad 6.

6) Imago Crucifixi.

IMOLEN.

Quaestio orta quum sit inter nonnullos de Clero Imolen.: an liceat Missam celebrare, quin in Sacra Hostia appareat Imago Jesu Christi Crucifixi?, eaque ad Sacrorum Rituum Congregationem deducta, haec in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata, referente R. P. Secretario, respondit: „Servetur

consuetudo“. Die 26. Aprilis 1834 n. 4723.

7) Immittenda in Ostensorio.

Vd.: *Instructio Clem. §. XIX. n. 2. 5. Diaconus* (aplat s. hostiam.)

8) Qua manu accipienda?

Sacerdos non valens sumere hostiam consecratam manu dextera, debeat sumere cum sinistra? S. C. resp.: *Lectum. n. 1698 die 28. Mart. 1654.*

Vd.: *Sacerdos inhabilis.*

9) Materia.

Presbyteri graeci Hydruntinae Dioecesis supplicaverunt, posse uti in Sacrificio pane fermentato, sed cocto ad modum Hostiarum, quibus Latini uluntur, non autem in furno, ita ut non sit alia differentia quam in coquendo vel in coctura. S. R. C. resp.: *Nihil. n. 619 die 28. Mart. 1626.*

Vd.: *Fermentat.*

10) Pro Missa

Vd.: *Missa* (Utensilia).

11) Renovatio.)

Vd.: *SS. Sacramentum* (renovatio).

12) Sumptio.

*Hostia magna pro expositione destinata, ea finita non debet distribui fidelibus.*

Vd.: *Instructio Clem. §. XXXI. n. 24.*

HUMILIATE CAPITA  
VESTRA.

*Ad dubium:* Utrum in oratione super populum ad verba: *Humiliate capita vestra*, sacerdos debeat se inclinare versus librum vel versus crucem? S. C. resp.: *Servetur pecul. rubrica fer.*

4. cinerum nihil praescribens. Die 16. Mart. 1833 ad 7.

S. HYACINTHUS C.

De ejus Canonisatione et festivitate die 16. Aug. celebranda.

Vd.: *Constitutio Clem. VIII. die 17. Apr. 1594.* (Bull. r. t. III. p. 39.)

HYMNUS.

1) Cantus.

*Ad dubium:* An in octavis Assumpt. et Nativ. B. V. M., in quibus hymni ejusdem metri debent concludi cum: *Gloria tibi Domine, qui natus etc.*, debeant dicti hymni cani in tono ipsorum hymnorum, an vero in tono B. V.? S. C. resp.: *Hymnos praedictos canendos esse in tono B. V. Die 28. Mart. 1626.*

Vd.: *In Tornacen.*

2) Completorii.

*Ad dubium:* In consursu diei octavae Ascensionis Domini cum Festo Beatae Mariae Virginis titulo Auxilium Christianorum die XXIV. Maji totum fit de praecedenti et commemoratio sequentis, quomodo autem concludendus est Hymnus Completorii? S. C. resp.: „Cum Stropham Hymni Ascensionis“. Die 23. Maji 1835 n. 4746 ad 9.

3) Conclusio.

*Ad dubium:* Sunt multi Hymni, qui habent conclusionem propriam: Conclusio ista semperne adhibenda est etiam in Completorio? S. C. resp.: „Negative, sed tantum in Festis Domini et Beatae Mariae Virginis“. n. 4669 ad 57 die 12. Novb. 1831.

*Ad dubium:* An in festo s. Hyacinthi C. Ord. Praed., Regni Poloniae Patroni principalis, quod ex concess.

apost. (25. Sept. 1723) ritu dupl. I. cl. cum oct., dominica infra octavam Assumpt. B. V. M. in Polonia celebratur: in ejusdem s. Confessoris officio hymni ad horas terminari debeant: *Jesu tibi sit gloria etc.* S. C. resp.: *Affirmat. die 29. Novb. 1755.*

*In Varmien ad 2.*

4) Off. ss. Angel. Cust.

Vd.: *S. Angelus Cust.*

In Festo et per octavam ss. Ang. Cust. in Cathedr. Curien. hymni ejusdem metri terminari non possunt, sicut terminatur hymnus eorum in laudibus per stropham: *Deo P. sit gloria, qui quos redemit filius et sanctus unxit spiritus per Angelos Custodes.* n. 3565 ad 4 die 19. Junii 1700.

5) Proprius.

*Ad dubium:* An quando in Officiis Sanctorum adsunt hymni proprii et particulares, Reponsoria, Antiphonae etc. ista omnia dicenda sunt de praeepto, ita ut minime liceat ea desumere a communi? S. C. resp.: *Propria omnia dicenda sunt et ex praeepto. n. 4044 (2do) ad 23 die 23. Julii 1736.*

*Ad dubium:* Varia sunt Officia, quae Hymnos proprios habent. Si quis Hymnus neque in Vesperis neque in Laudibus possit recitari, potestne aut debet uniri Hymno Nocturni, uti fit in Festo Sanctae Martinae, ad hoc ut omnes Hymni proprii recitentur. S. C. resp.: „Affirmative, si Hymni sint historici, secus negative“. n. 4669 ad 47 die 12. Novbr. 1831.

6) Qui?

*In dominicis infra octav. immac. Concept. B. V. M.* Vd.: *Immacul. Concept. (hymnus).*

Urbanus PP. VIII.

Cum alias Hymni Breviarii rom. paucis exceptis, qui non metro sed soluta oratione aut etiam rythmo constant, jussu nostro vel emendationibus adhibitis codicibus vel aliqua facta mutatione ad carminis et latinitatis leges revocati, nonnulli etiam de integro conditi dictoque Breviario auctoritate nostra recognito inserti fuerint et ut accepimus, Breviarium praedictum cum hymnis hujusmodi a majore parte Christifidelium, qui ad illius recitationem sunt adstricti, privatim ubivis terrarum recitentur.

Hinc est, quod Nos, qui Hymnos praedictos cum notis musicis elegantius typis et exacta industria excudi jussimus, ne eorum publica recitatio a privata discrepet, sed ea in re uniformitas ubique servetur, pro pastoralis nostrae sollicitudine providere volentes de ap. plenitudine potestatis, quod deinceps perpetuis futuris temporibus in omnibus et singulis Patriarch., Primatial., Metrop., Cathedr., Colleg., Paroch. caeterisque tam saecul. quam regul. cujusvis Ord., Congreg., Instituti, etiam Societ. Jesu et Hospitalis s. Joann. Hierosol. aliarumque militiarum utriusque sexus ac Archiconfraternitatum et Confraternitatum quarumlibet, etiam quantumlibet exemptis ac speciali nota et individua expressione dignis Ecclesiis, Basilicis, Capellis, Oratoriis earumque et eorum choris in divinatorum offic. recitatione, praedicti hymni jussu nostro emendati ac de integro conditi et typis editi, non autem amplius antiqui recitentur ac decantentur, recitarique et decantari debeant, tenore praesentium praecipimus et mandamus. Volentes, ut praeeptum nostrum hujusmodi in Urbe et ejus districtu infra duos, in aliis vero locis citra montes infra octo, ultra

montes autem infra duodecim menses resp. omnino executioni demandetur.

Romae apud. S. Petrum die 27. Apr. 1643.

### 7) Versus ultimus.

*Ad dubium:* Tetamus dicit, illos Hymnos habere ultimum versum proprium, qui in fine non exprimunt

gloriam Trinitatis, aut praeter gloriam Trinitatis aliquid aliud exprimunt, uti Hymnus Matutini plurimorum Martyrum et Hymnus Vesperarum S. Crucis; estne attendenda haec opinio?

„In casu servandas peculiare Rubricas“.

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. n. 5183 ad XI. die 16. Aprilis 1853.

## J.

### S. JACOBUS AP.

#### 1) Patronus Regni.

Vd.: *Patronus Regni* (decr. n. 4507.)

#### 2) Ritus festi.

In Ecclesia Turritana reducendum est festum s. Jacobi ap. a ritu dupl. 1. cl. cum octava ad ritum 2. cl. sine octava prout in Brev. rom. 25. Julii; item abrogandum pariter est festum translationis ejusdem ap. Die 30. Decb. n. 4351 ad 4 die 12. Sept. 1769.

### JANSENIUS.

De Prohibitione libri „*Augustinus*“ superscripti

Vd.: *Breve Urbani VIII.* in Bullar. mag. rom. tom. V. p. 369 (edit. Luxemburg. 1727) die 6. Mart. 1641; et *Constitut. Innocent. X.* ibidem p. 486 pridie Cal. Junii 1653; et *Declaratio Alexd. VII.*, ibid. tom. VI. p. 46. Calend. Novemb. 1657; *Constitutio Alexand. VII.* quintodecimo Cal. Martii 1664, ibid. p. 211.

### JANUA ECCLESIAE.

(*Exposito SSmo.*)

Vd.: *Instructio Clem. S. XXXIII.* n. 1 etc.

### S. JANUARIUS.

#### 1) Officium.

Cf.: *Patronus Regni; Festum* (Separatio.)

*Ad dubium:* An a Clero s. Marci Dioecesis Volturariensis recitari debeant duo Officia pro duobus *translationibus* Corpor. s. Januarii m., unum nempe dominica prima vel secunda Maji, alterum die vigesima tertia Octobris juxta concessionem factas, seu potius alterum ex illis? S. C. resp.: Teneri Clerum s. Marci ad recitationem utriusque Officii pro duplici distincta translatione Corp. s. Januarii m. juxta concessionem factas, neque ullo pacto posse sive ab uno sive ab altero abstinere. n. 4413 die 2. Aug. 1783.

Petit Clerus Balneariae Dioecesis Nullius sibi declarari: an celebrare teneatur Officium S. Januarii semel in mense diebus non impeditis in mensibus Sept., Dec. et Maji, in quibus mensibus celebratur de praecepto Officium dicti Sancti, nempe Natalis ejusdem in mense Septemb., Patrocinii in mense Dec. et Translationis in mense Maji. Ratio dubitationis ex eo procedit, quod si in dictis tribus mensibus praeter Officia praedicta, celebretur

tur etiam Officium, ut in aliis mensibus, semel in mense, tunc non erit semel, sed bis in mense, in mensibus scilicet Sept., Dec. et Maji.

Et S. R. C. respondit:

Negative et servetur Decretum in Tarentina 5. Oct. 1679 et ita etc. n. 4516 ad 5 die 15. Sept. 1815.

Officium *translationis* s. Januarii, quod in Civitate et Dioecesi Neapolit. celebratur sub ritu dupl. maj. cum octava dominica 1. Maji vel 2., si prima fuerit Dominica in Albis, occurrens cum festo altioris ritus vel majoris dignitatis transferendum est a prima dominica Maji, ipsi tamquam propria die assignata, in primam diem non impeditam: *quoad octavam vero servantur rubricae.* n. 4091 ad 1 die 11. Julii 1739.

Officium *translationis* s. Januarii pro Clero Campiarum Dioecesis Licien., si occurrat cum die octava Dedicationis Ecclesiae, transferendum esse in primam diem non impeditam, *omissa octava.* n. 4097 die 28. Novb. 1739.

#### 2) Patronus.

*Ad dubium:* An attento, quod S. M. Innocentius X. indulserit in toto Regno Neapolitano, tamquam de Protectore Regni, festum s. Dominici c. indici et celebrari, sit una simul in eodem regno continuandum praeceptum in festo s. Januarii, de quo, tamquam de Protectore Regni, hactenus festum celebrari consueverant? S. C. resp.: S. Januarium esse Protectorem civitatis Neapolitanae tantum et non totius Regni; idcirco de eo tamquam de Patrono Regni non licuisse nec licitum alibi festum celebrare. n. 1876 die 16. Mart. 1658.

*Ad dubium:* An de s. Januario e. m. et Patroni princip. civit. et regni Neap. debeat fieri *Off. de comm. un.*

m. vel potius unitum cum aliis sociis prout fieri consuevit?

Vd.: S. Eustachius.

### JANUARIUS.

(*Mensis*)

Est dies 28. Januar. vacua pro festo ss. Nominis Jesu

Vd.: S. Meinradus (decr. n. 4043); *Festum ss. Nominis Jesu* (decr. n. 4299; 4581.)

### S. IDELPHONSUS.

Vd.: *Desponsatio B. V. M.* (Off. et transl., decr. n. 3120.)

### IDIOMA.

Vd.: *Lingua. Ritus graecus.*

### JEJUNIUM.

#### 1) Anticipandum.

Vd.: *Vigiliae festor. jejun.*; *Reductio festorum* (decr. n. 4551.)

#### 2) Pro celeb. Missae.

Vd.: *Missae* (interrupta per mortem Sacerdotis). *De Jejun. graec. presbyt.* vd.: *Missae* (hora, decr. *Bened. XIV.*); *Jej. pro SSmo. sum.*

#### 3) In Dedicat. Eccles.

Jejunium in Pontificali rom. praescriptum esse strictae obligationis pro Episcopo consecrante et pro iis tantum, qui petunt sibi Ecclesiam consecrari; idemque jejunium indicendum esse die praecedente Consecrationi ad formam rubricae Pontificalis. n. 4400 ad 1 die 29. Julii 1780.

*Ad dubium:* An hoc jejunium sit locale tantum an personale; seu potius locale et personale simul? S. C. resp.: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam. n. 4400 ad 2 die 29. Julii 1780.